

# RHODUM,

SIVE

# IN ADVERSIS LÆTITIAM,

Sacratissimô PASCHATOS festo,  
ad religiosum devotæ mentis cultum magis  
magisque excitandum,

In Auditorum suorum,

*nec non quorumvis Christognosicæ Cultorum gratiam,  
tenui stilo ac filo depingit*

M. HENNINGUS WITTE,  
ELOQ. & HIST. P. P.

RIGÆ,  
*è chalcographæo NÖLLERIANO.*



Vum gloriosissimum cœli terræque Prin-  
cipis natalem trimestre abhinc solemniter  
celebraremus, Moluccas, sacram piæ me-  
ditationis navigationem suscipientes, *et*  
*en πρὸς* salutavimus, quò & illic bonæ  
quicquam frugis, in animæ lapsu corruptæ medicinam,  
decerperemus. Nunc ad aliam maris Asiatici insulam,  
Rhodum scilicet, mentis quadam velificatione divertere  
lubet, ut morientis ibidem ac resurgentis Domini sive  
imaginem sive vestigium inveniamus. Rhodus, unde  
insulæ nomen, totò quondam orbe clarissima solis erat  
civitas, & Archipelagi regina, totque gloriæ radiis coro-  
nata passim superbiebat. Portu gaudebat prorsus exi-  
mio, in cuius ostio nominatissimus constiterat Colossus,  
septem inter mundi relatus miracula. Cuncta in hac  
solis statua ad naturæ regulas tam perfectè responde-  
bant, ut, sicuti Deucalionæi olim homines ex lapidibus;  
ita opus illud, divinò quodam artificiò, à se ipso  
prodiisse crederetur. Vivacissima ejus deprehendeba-  
tur habitudo, quâ non solùm in loco consisteret, sed se-  
quoque attolleret. Facies tantâ eminebat venustatis &  
gravitatis mixturâ, ut discerni nequaquam posset; plus-  
ne amabilitatis eniteret, quæ solem decet; an majestatis,  
quæ DEum. Talis tum Rhodius iste apparebat Colos-  
sus, ac inde fama semper alios atque alios, ex diffitis lon-

gè regionibus, populos ad stupendum ejus spectaculum evocabat. Evocabat simul immanissimos Saracenos, qui quadraginta adduxerant navigia, velut totidem castella in mari ædificata, & terrestres copias penè infinitas, ut totam sibi subjicerent insulam, aut funditus destruerent. Sexaginta protinus millia, vilissimum vulgus, armati sub terram se, tanquam diaboli in infernum, penetrant, mox, per occultas fossas, & ignem & furias ipsas, magna cum murorum parte, in aërem difflaturi. At nunquam Rhodus magis secura ac validius clausa fuit, quàm tot & tam vastis aperta ruinis. Successerant quippe, in murorum vicem, fortissimi ordinis Johannæi Equites, in quorum pectoribus crux Domini refulgebat sanctissima, ad eò ut nulla mæniorum pars valentior, quàm quæ prociderat, nullaque impenetrabilior esset, quàm quæ sic hosti patuerat. Quid? quod quatuor durissimæ impressiones, quibus unò Solimannus tempore, diversis in locis, totâ virium suarum potentiâ, urbem arietavit, quatuor extiterint mallea, ad barbararum gentiû perniciem comparata. Unò duntaxat assultu, viginti millia trucidati impias in orco deposuere animas, corpora verò pontus hausit, quorum largiter bibit sanguinem, latè peringens spatium tabò purpuratus fædissimò. Ita toties, murorum suorum stagibus, victricia hinc inde signa generosissimi produxerant Equites, & quas ante passi erant, clades in portas mutârant triumphales,

fales, quæ hoc fortè adscribibilem poterat: **IN AD-  
VERSIS LÆTITIA.** Verùm enim verò ubi nullus in-  
cursionum atqve pugnarum aderat finis, ipsæ tandem  
victoriæ victores consumebat suos. Quemadmodum,  
enim non hominibus solùm, sed metallis pariter, certa  
annorum mensura præfixa, moriendiqve lex vel ideò  
imposita est, quod vivere videantur; sic incomparabilis  
iste Colossus, qui immortalitate multò censebatur dig-  
nissimus, nequidem annò ætatis suæ sextò & quinqva-  
gesimò defunctus interiit. Ad hujus autem urbis la-  
mentabilem exitum plus unius demum interni valebat  
proditoris perfidia, quàm trecentorum Turcarum mil-  
lium foris pugnantium violentia. Ex hisce, quæ de  
Rhodiis retulimus, stupendoqve eorundem Colosso,  
non nihil fortassis reperietur, quod præsentì aliquatenus  
accommodari poterit tempori. Vanum profectò at-  
qve futile fuit, quicquid vel artis, vel concinñitatis, in effi-  
cta solis statua, tantopere prædicabant. Majora utiqve &  
longè occurrunt eminentiora, quæ in ipso Sole increato,  
Redemptore nostro, pius credentium cætus submissè  
admiratur, indubitata fide suscipit, & religiosò admo-  
dum cultu prosequitur. Æterna namqve hæc ab æterno  
processit Patre imago, clarum de Lumine sparsit Lumen,  
ac inmensa mundi mænia orbesqve cœli per amplos pro-  
duxit. Ad infinitam ejus bonitatem melior hominum  
pars penitissimè stupuit, cùm se intuendum polo demit-

teret saluberrimè, Solqve cœlestis in terra, subtractis ta-  
men majestatis suæ radiis, discurreret. Tenebræ, quis  
crederet? Lucem extingvere, ac vernæ Dominum op-  
primere haud verebantur. Imo, qui invictus, vinceba-  
tur, qui infinitus, constringebatur, qui omnipotens, ab  
infirmis tenebatur. Recutiti furore immensis supera-  
bant parasangis Musulmannos, ac perniciosos DEo pa-  
rabant cuniculos, inferos quoscunqve ad fœderis convo-  
cando societatem, quò solidissimum hunc Colossum,  
Solis effectorem potentissimum, vitali suo privarent  
splendore, ac tandem obscuratum in aëre suspenderent.  
Non quidem tum fortissimi Johannæ ordinis deerant  
Eqvites, sacratissimi fulgentibus alis ministri, è quorum  
cohorte unus cum morte luctanti Domino in solamen,  
apparuit. Verùm noluit Heros divinitate plenissimus,  
*ὁ θεὸς ὁρθρωτός*, hōc stipatus incedere servitiō, utpote qui fa-  
cillimè duodecim advocare sibi in satellitium legiones  
potuisset. Uni proinde eidemqve soli pugnam placuit  
aggredi acerrimam, acutissimos sustinere dolores, im-  
manissima tolerare verbera, ac spontè hostium cedere,  
procacitati turpissimæ. Ethinc est, quod uranius iste  
Colossus, qui omnia omnium seculorum superabat mi-  
racula, ante quartum & trigessimum ætatis suæ annum,  
in crucem sublatus, indeqve sub terram reconditus fue-  
rit. Sicut autem Ottomannica bestia hamatis corripere  
ac destruere ungvibus Rhodum minimè valuisset, nisi  
quis-

quisquam ex ejus incolis, nefandâ ad hostes prodicione  
transisset, atque sic extremam inexpugnabili fortalio  
perniciem procurâset: Similiter Judas, ex addidissimo  
Christi sodalio in proditorem scelestè formatus, trans-  
versâ effecit mente, ut levi admodum ac pudendô pretiô,  
ditissimus omnium idemque supremus Monarcha illis  
traderetur, qui perfectissimum destruere opus, Deumq;  
à seculis benedictum necare intendebant. Nihilominus  
tandem prosperrimè heic cedebant omnia, & acerbissi-  
mos lugentium ejulatus gratissima excipiebant epinicia.  
Impossibile quippe fuit, ut vitæ necique Dominus in  
obscuro detineretur dormitorio; sed tertiâ mox die cla-  
rissimè surrexit, horrendas hostium circumjacentium  
umbras ocysimè dissipans. Quâ enim ratione æternæ  
virtutis Colossus ab inimica destrui manu poterat? Num  
Sol iste infinitô fulgore suô hoc illustrare univèrsum de-  
fieret? Accedite modò pavidî Christianæ pietatis milites,  
ac surgenti è mortuis Domino lætanter accinite. Nunc  
non clypeis duntaxat, sed animis, in perpetuam luctan-  
tis aliquandiu, & per tot difficultates felicissimè eluctan-  
tis, Ducis vestri memoriam, hæc infigite verba: **IN AD-  
VERSIS LÆTITIA.** Adspicite rutilantissimum Re-  
demptoris vestri corpus, quod mortis eheu! caligine vi-  
distis obscuratum: adspicite immortale, quod paulò  
ante mortuum deplorâstis: adspicite impassibile, quod  
sævos subire cruciatus conspexistis: adspicite mirâ agili-  
tate

tate decoratum, quod maledicto crucis ligno vidistis alligatum. Sic nempe decebat, ut sanctum Domini corruptionem non sentiret, novoque huic Simsoni renascerentur capilli. Quin audacter id asserere licebit, quod Sion, arx Altissimi, nunquam magis extiterit invincibilis, quam postquam tota Erebi rabies cum perfido erumperet Apella, atque locum hunc omnium pulcherrimum evertere conaretur. At dextra DEI exaltata Solis erexit Colossum, CHRISTUM è mortuis ad vitæ lumen suscitavit, hostesque constanter improbos tartareis sepelivit tenebris. Quid proin trepidatis Numini in solidum dicata pectora? Ecce tam largiter ploratis? Quem amissum, quærule quæritis? Transit io tempus pavoris ac timoris, nox atra divinæ recessit indignationis, lumen salutæ gratiæ tellurem passim illustrat, ac suos mirè exhilarat incolas. Satis jam lacrumarum fuscum, satis passionum exantlatum, satis ludibriorum auditum est. Vere nunc redeunte sævissimò, ac superatâ diræ hiemis inclementiâ, cuncta rursus vigere, ridere & vivere incipiunt. Ô lucem toti mundo auspiciatissimam! Ô lætissimam tristissimæ afflictionis catastrophæ! Dominus gloriosissimè re-dux planctum in risum, iram in favorem, bellum in pacem, mortem in vitam, ac infernum in cælum convertit. Hoc firmiter credamus, Paschali nostro Colosso omnem omninò honorem ex debito deferentes. Dabam Rigæ, d. XXX. Mart. A. O. R. c10 100 xxcix.